

hic mundus omnis templum esset, et domus. Melius Graeci atque nostri; qui, ut auferrent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, urbes incolere voluerunt. Affert enim haec opinio religionem utilem civitatibus. Si quidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et pietatem, et religionem versari in animis, quum rebus divinis operam daremus, et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, omnia quae cernerentur, deorum esse plena. Fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maxime religiosi. Est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. Eandemque rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a majoribus prodita est tum dominis, tum famulis posita in fundi villaeque conspectu, religio Larium, repudianda est. Jam ritus familiae, patrumque servare, id est (quoniam antiquitas proxime accedit ad deos) a diis quasi traditam religionem tueri.

Nat. Deor. II. 28. Cultus Deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati; quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, et tamquam relegerent, religiosi dicti sunt *ex relegendo*, ut elegantes *ex eligendo*, itemque *ex diligendo diligentes*, *ex intelligendo intelligentes*: his enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso. Ita factum est (in superstitioso et religioso) alterum vitii nomen, alterum laudis.

Senec. Epist. XCV. Nro. 47. 58. Quomodo sint dii colendi, solet praecipui. Deum colit, qui novit. Vetemus lintea et strigiles Jovi ferre, et speculum tenere Junoni. Non